

9

# IN SOLEMNI

INOPINA ÆQUE AC OPTATISSIMA

STUDIORUM RENOVATIONE

*AD ACADEMIAM SALMANTICENSEM*

ORATIO HABITA

XV. KALENDAS NOVEMBRIS ANN. DÑI.

MDCCCXXXII.

A

*D. Joanne Martin Carramolino,*

JURISPRUDENTIÆ CIVILIS DOCTORE,

ET HUMANIORUM LITTERARUM

PUBLICO PROFESSORE.



SALMANTICÆ:

*ÆPUD JOANNEM VALLEGERA, TYP. UNIFERS.*

85222519

# IN SOLEMNI

INOPINA EQVE AC OPTATISSIMA

STUDIORUM RENOVATIONE

AD ACADEMIAM SALMANTICENSIS

## ORATIO HABITA

XV. KALENDAS NOVEMBRIS ANN. DNI.

MDCCLXXIII.

A

*D. Joannes Martinus Castaneda*

IURISPRUDENTIS CIVILIS DOCTORIS

ET HUMANIORUM LITTERARUM

PUBLICO PROFESSORE.

—————

SALMANTICÆ:

SEBASTIANUS CUESTERUS, P. M. P. P. P.

Viderat heu! quondam profugas Hispania Musas,

Et prope jam nullum tristibus esse locum.

Dira sed augustus miracula non tulit Heros

Atque modum celeri jussit inesse fugæ,

Nec mora; suscepit reduces, ac sedibus istis

Reddidit incolumes magnus Apollo Deas.

**L**iceat mihi ornatissimi auditores,  
optimique adolescentes versibus his  
vos affari, quos majores nostri in  
harumce ædium penetralibus, perpe-  
tuum suæ gratitudinis monumentum,  
scriptos reliquerunt. Nunquam sane  
sapientia ab humanitate desciscit;  
vinculumque illud, quod inter ipsas  
artes humanioresque litteras arctissi-  
mum animadvertit Tullius, virtutes  
quoque animi complectitur, quibus

(IV)

homines amicè ac justè impellente natura consociantur.

Vix optimis disciplinis prima lux per Europam affulgebat, cum Alphonsus IX. Rex Legionensis, ut civium mores emolliret, atque consilio potius quam vi deinceps regi possent, Musis hoc augustissimum templum sacratum esse voluit. ; Dignum quidem Principis beneficium! quo et publicæ rei, et imperii dignitati perpetuo consultum, non sine majorum nostrorum præcipua gloria lætantes recordamur.

Præcesserant enim tempora armis triumphisque magis quam litteris commendanda; horridus pene fuerat Musarum aspectus; non modo Græci artium sapientiæque, ut ita dicam,

(V)

inventores, sed Latini etiam, qui post ipsos Philosophiam eleganter exornarant, penitus ignoti; Arabum dumtaxat exemplaria è tenebris emergere conantibus viam aliquam demonstrabant, tantis tamen cæcam spinetis, ut nec felicissimis ingeniis spes ulla esset tantisper proficiendi. Verum sede artium semel constituta, usus ipse docendi, qui primo illas invenerat, quovis etiam adjutore easdem facilius revocaret. Merito itaque Alphonsi laudes etiam nunc celebrantur: in harum vero laudum partem non tantum hæreditatis jure, sed quod præcipuum est, æmulatione FERDINANDUS noster augustus cum carissima sibi CONJUGE optime recensendus.

(VI)

Plurima extant FERDINANDI, ex quo Hispaniæ imperium regendum suscepit, in Academiam nostram amoris benevolentiaque indicia atque monumenta. Sed nescio an beneficentissimum munus his prope diebus, orante nullo, sed sponte sua, REGINAQUE augustissima jubente oblatum, reliqua omnia longe vincat ac superet. Reduxit sane fugientes Camœnas; ac sedibus istis, ut olim Alphonsus, reddidit incolumes; et ni omnia fallunt, novum jamjam spectantes splendorem. Id saltem non augurari, sed plane oculis conspiciere licet in præclarissimo omnique laude celebriori Summæ Imperantis decreto, quo scientiarum Tempora nimis diu summo cum rei litte-

(VII)

rariæ publicæque damno clausa, die  
à majoribus legibusque præscripta so-  
lemni ritu patescunt. ¡O Dies fausta  
felixque! ¡Dies hispanis Musis per-  
grata, et inter patria gesta lapide  
albo designanda! Quid caritatis, quid  
voluptatis habes!

Tam providentissimum consilium  
hisce præsertim imperii angustiis infir-  
maque optimi atque carissimi Regis  
valetudine ¿quis nostrum non demi-  
retur? ¿quis Principum egregiam ani-  
mi constantiam non suspiciat ac me-  
rita veneratione prosequatur? Pluri-  
ma sunt, quæ vulgi mentem effu-  
giunt, virorum tamen prudentium  
judicio maxime commendantur. No-  
vit certe, qui artium atque scientia-  
rum, quibus publica res sustinetur,

(VIII)

non est ignarus, quantum vel ad modicos in eisdem parandos progressus conferat publica institutio. Magistri nunquam sine peculiari quodam doctrinæ indicio ac specimine in Academiis eliguntur; non in obscuro aliquo angulo sed in omnium oculis, quæ ex legis præscripto juvenus edocenda est, quam multis exponunt. Quietem Musæ amant ac solitudinem, ut aliquid contemplando efficiant; parum tamen laudis assequeuntur, nisi consensus adsit frequens, ubi virtutes suas præclaras ostentent. Jacent quoque sine æmulatione studia, vixque optimi adolescentes ab innata desidia ad laborem distractis sociis atque imitatoribus studiorum suorum possunt excitari. Adde, quod non ea tantum



(IX)

in scholis discunt, quæ domi præcipiuntur, verum et quæ alii edocentur, ægre semper ferentes si à paribus vinci contigerit, pulchrumque existimantes ingenia feliciora superare. Gravissima quidem alia consulto prætermittimus incommoda, ne contra Reginæ augustissimæ decretum odia atque simultates incendere videamur. Sunt enim vitia quædam, quæ contemptu quam castigatione melius emendantur; idque præcipuè tunc valet, cum edocendi munus privatis quibusque interdictum, eo loci tantum permititur, ubi adsunt plurimi probati iudices atque oculatiores.

Hæc indicanda potius quam exornanda duximus brevissimo temporis spatio, quod nec ad parandum

(X)

dicendi argumentum aliàs sufficeret, ut omnes intellegant, maximam edicti regii providentiam non solum Hispanis omnibus jucundissimam sed valde necessariam. Ita enim est hominum comparata natura, ut sine doctrina atque eruditione vitam in societate ducere minime possint. Non enim corporibus sustentandis magis est victus necessarius, quam Imperii saluti ac incolumitati cum Philosophiâ, Jurisprudencia, Theologia reliquæque doctrinæ. Id quam humaniter præ se fert augustissima CRISTINA magno cum animi dolore deflens tempora parum fausta, quæ litteris pene omnibus maximam cladem intulerunt: à qua tamen ipsa eadem Regina præcipua adjutrice (quod nobis valde in

(XI)

votis est) aliquando resurgent.

Tritum est omnium sermone, nec minus idcirco verum ac pene divinum illud Platonis effatum, *Felicissimos populos esse futuros, cum aut Philosophi regnarent, aut Reges philosopharentur*. Hanc tandem nos felicitatem adepti, potiamur, lætemur, gestiamus: Deoque O. M. grates habeamus summas ob præclaram regię Sponsæ indolem atque virtutem, et in Hispanos suos amorem eximium; quorum commoditatibus vix è mœstissimo dolore summaque animi ægritudine exoluta ac libera sapientissime consulit.

Nec dubito, quin tuis ¡ó CRISTINA! meritis precibusque piïssimis Deus immortalis annuens FERDI-

(XII)

NANDUM tuum, Hispanorum parentem et tibi, et ipsis incolumem salvumque reddiderit. Gravissimo è morbo Rege recreato, quanto vehementius antea dolebamus, tanto nunc lætitia efferimur vividiore. Nostro enim luctu intellectum est exteris etiam gentibus ex Regis optimi vita Patriæ salutem pendere. Sed vota et supplicationes ovationibus cesserunt; gratiasque quantas possumus maximas hominum Servatori devotissimi rependimus ob tantum beneficium; quod firmum diuturnumque Hispanis esse velit, suplices exoramus.

Hæc vota omnibus Hispaniæ gentibus esse communia inficiatur nemo; nobis autem ardentius concipienda Academiae alumnis scientiarumque

(XIII)

professoribus; quos bonus FERDINANDUS saluti redditis, primos placidiori vultu respexit: sicque studiis vacare voluit, ut ad ea alacrius adripienda novum adderet incitamentum.

Sordent sine præmiis quæcumque exercitationum genera; honore præcipuè artes scientiæque aluntur ac vigent. Eo autem nunc fruimur maximo. Socium laborum nostrorum clarissimum virum JOSEPHUM A CAFRANGA nostra in Civitate procreatum, hujusce Salmanticensis Academiae alumnum, atque dignissimum Doctorem, prudentiâ, probitate, humanitate, rei que publicæ peritiâ conspicuum Administrum voluntatis suæ, et Patriæ quasi parentem Reges con-

(XIV)

silio non pœnitendo renuntiarunt. Nihil certe mihi gratius quam hujus clarissimi viri persequi laudes, et in Academiam nostram tot, tantaque merita eximia atque præclara, nemini vestrum ignota. Verum modestiæ ipsius censeo parcendum, et consulendum nostræ dignitati, ne adulatione insimulemur, dum probatæ virtuti debitum præstamus obsequium.

Habet ipsamet virtus in se sua præmia, quibus nec adversante fortuna privari queat. Nostræ vero voces quid gloriæ, quid claritatis addere possent viro, quem semper optimi Reges gravi judicio suo comprobaverunt? Cujus opera maxime usi sunt difficilissimis temporibus, et in negotio gravissimo ad totius, qua late patet,

(XV)

Hispaniæ salutem spectante; in artium videlicet atque scientiarum turpiter jacentium instauratione.

Præclarum quidem exemplum quod dies noctesque vestris oculis charissimi adolescentes obversari debet, quo alacrius litteris atque honestatis studiis incumbatis. Nolite nec tædio vinci, nec labore defatigari: virtus ardua petit et superare amat; nec exigüis conatibus gloria ulla respondet. Premite itaque hujus clarissimi viri vestigia, cujus in Patriam egregia merita, fidem et observantiam in Reges, et in matrem Academiam pietatem singularem admiramini.

Nos demum gravissimi Doctores divinum numen exorare, arden-

(XVI)

tissimeque efflagitare decet, primum  
ut piissimis nostris Regibus presens  
adsit; deinde ut hos diu ad Hispa-  
norum omnium solatium atque feli-  
citem sospites incolumesque servet.

*DIXI.*